

# Anna Maria Malina

---

## De Iosepho Aegyptiaco in fabulis dramaticis (atque in scaena theatriali) in regione Silesia (s. XVI-XVIII)

---

Śląskie Studia Historyczno-Teologiczne 36/2, 509-517

---

2003

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach  
dozwolonego użytku.

**ANNA MARIA MALINA**

Uniwersytet Śląski w Katowicach

## **DE IOSEPHO AEGYPTIACO IN FABULIS DRAMATICIS (ATQUE IN SCAENA THEATRALI) IN REGIONE SILESIA (S. XVI–XVIII)**

### **I. ORIGO THEATRI ET TRAGICARUM FABULARUM IN LATINIS SCHOLIS SILESIAE REGIONIS**

Imperio Romano a barbaris deleto homines docti incolentes in diversis Europae regionibus inter se (invicem) sermone Latino utebantur. Nam in scholis Latinis atque universitatibus studiorum iuvenes lingua Latina non solum in media aetate sed etiam postea usque ad undevicesimum saeculum docebantur. Professores et magistri indefessim monebant linguam Latinam non solum sermonem Romanorum sed etiam quodam modo patrium sermonem omnium Europaeorum esse. Re vera spatio plus viginti saeculorum vocabularium fundamentale Latinum aptum se praebuit ad artes, scientias, condicionesque vitae humanas describendas ita in documentis et operibus litterarum ut in usu vivo hominum eruditorum.

Humanitatis gymnasium a Iohanne Sturmo fundatum celeberrimum in tota Europa fuit. Scholae Latinae finis fuit: „educare, instituere necnon cultus atque mores innectere iuxta principium: pietas litterata sive sapiens atque eloquens pietas”<sup>1</sup>. Latinae scholae, quae non solum aetate Humaniorum Renatarumque litterarum sed etiam aetatibus sequentibus magna opinione et gratia floruerunt, antiquitatis hereditatem conservaverunt et coluerunt nobisque tradiderunt. Etiam in Silesia saeculis XVI, XVII et XVIII eadem scholae Latinae magni honoris fuerunt. Praesertim protestantes (i.e. evangelicae confessionis fideles) claruerunt, qui in Silesia scholas latinas Nissae Silesiorum, Lignitiae, Bregae, Gorlicii, Glogovia Maiore, Auri (Goldbergae) et ante omnia duas scholas in urbe Vratislavia habebant.

Duo sunt praecipue fontes theatri scholastici Silesii, scilicet theatrum mediaevale et theatrum antiquum. Namque in scholis latinis Silesiis populares fuerunt ludi scaenici, actus scholastici, theatra sive dramata scholastica<sup>2</sup>. Iam saeculo VII Isidorus Hispalensis, auctor *Etymologiarum sive*

---

<sup>1</sup> J. Sturm, *De litterarum ludis recte aperiendis*, Argentorati 1537, Praefatio.

<sup>2</sup> J. Budzyński, *Dramat i teatr szkolny na Śląsku (XVI–XVIII wiek)*, Katowice, 1996, p. 21.

*Originum libri XX*, in libro XVIII cui titulus *De ludis* spectacula enumeravit haec: ludum gymnicum, ludum circensem, ludum gladiatorium et ludum scenicum<sup>3</sup>.

Christianus Gryphius de progressu theatri in saeculo XVII disserens has formas theatrales enumerat: »Tragoedia, Comoedia, Fabula Pastoralis, Scaenae Musicae, Scaenae Choreae, Ignium Festorum spectacula, Dialogi, Declamationes, Actiones quae Oratoriae vocantur, Progymnasma Dramaticum«<sup>4</sup>.

Theatrum scholasticum signum scholae latinae in Silesia fuit. Scholis expletis, sive diebus festis ac sollemnibus plerumque in Festis Paschalibus, scholastica et academica consuetudo fuisse perhibetur drama scaenicum per discipulos doceri. Spectacula, quae ibidem a professoribus apparari solebant, Latino sermone scripta, argumentis innitebantur vel ex Graecorum Romanorumque historia, vel ex ipsa mythologia vel ex Bibliorum Sacrorum narrationibus, vel ex hagiographia excerptis<sup>5</sup>.

## II. PROPOSITA THEATRALIS ARTIS

Plauti et Terentii comoediae exemplaria habitae sunt et dramati scholastico initia dederunt<sup>6</sup>. Iam saeculo XVI ineunte sua quisque professor dramata scripsit, imitatus magna cum licentia praecipue Terentium et Plautum, qui tunc apud Germaniae Praeceptorem maximo in honore erant. Itaque omnibus fere scholis Latinis professores et magistri propria dramata composuerunt.

Praeceptor Germaniae Philippus Melanchton sibi persuasit, certum esse, si salvi esse velimus, praecipuam et maximam curam iuvenum esse habendam. Nihil enim esse in hominum vita vel ad fructum suavius vel ad dignitatem honestius, vel usu salutarius, quam cives optimos existere. Ut enim in semente spes messis posita est, ita totius reliquae vitae expectatio ab educatione pueritiae pendet. Reapse filiorum infantiam deliciis et voluptate corrumpimus, corpus otio, animum libidine imminuimus. Ex prima institutione omnia fere pendent. Itaque magistri publicae saluti putant omnem curam tenerae puerorum aetati impendendam; qui ad iustitiam atque innocentiam exemplis praeceptisque formati, non scholae sed vitae erudiendi sunt.

<sup>3</sup> T. Michałowska, *Staropolska teoria genologiczna*, Wrocław, 1977, p. 101.

<sup>4</sup> C. Gryphius, *Progymnasma Dramaticum, quo Dialogi, Declamationes, et Ipsae Actiones, quas Oratoriae vocant expenduntur*, Wratislaviae 1696.

<sup>5</sup> K. Gajek, *Das Breslauer Schultheater im 17. und 18. Jahrhundert. Einladungsschriften zu den Schulactus und Szenare zu den Aufführungen ‚förmlicher Comödien‘ an den protestantischen Gymnasien*, Tübingen 1994, p. 7.

<sup>6</sup> Philippus Melanchton, communis Germaniae Praeceptor, qui inter omnes paedagogos magna auctoritatis fuit, praecipiebat poetis aequalibus, ut ante omnia Terentii et Plauti fabulas diligenter legerent et imitarentur. B. Nadolski, *Recepcja Terencjusza w szkołach gdańskich w okresie renesansu*, „Eos” 1959–1960, z. 2.

Quamobrem magistri curabant, ut suis operibus fabulisque (copiosis exemplaribus virtutum) ex feris homines facerent, id est, homines feris simillimos ad virtutem a vitio, ad rationem a furore, ad humanitatem ab immanitate revocarent. Nam secundum indolem recta aut prava institutio multum valet a prima aetate suscepta, annis consequentibus confirmata.

Latine scribebantur disputationes, poemata didascalica et fabula scaenica ad pulchritudinem Christianae veritatis nobilitandam. Ante omnia Vetus Testamentum scriptoribus actoribusque fons inspirationis erat. Scriptores Silesii exemplis sumptis ex virorum vicissitudinibus interpretabantur imagines, argumenta et praesertim humanas condiciones in Divina Pagina descriptas.

Magistris curandum erat, ut discipuli non solum Graecas Latinasque litteras sed etiam Sacras Scripturas penitus cognoscerent. Ut superius dictum est, scriptores Silesii a Vetere Testamento, ab ipso scilicet fonte veritatis, ad fabulas componendas sapientiam per se quoque hauserunt.

Hic Veteris Testamenti divulgationis rationem affere et fructus aliquos illustriores Veteris Testamenti recensere liceat. Imprimis assidua lectio Veteris Testamenti, aequae ut Novi, fidem stabilit. Secundum magistros Silesios Veteris Testamenti historia sane magistra est, dux et lux vitae humanae, in qua regnorum, rerumpublicarum, vitae humanae, ortus, casus, occasus, virtutes, vitia, quasi in speculo cernas, omnemque prudentiam, et viam ad felicitatem alieno exemplo, felicitate, vel infelicitate discas<sup>7</sup>. Vix in aliis historiis, ne in Novo quidem Testamento, tot, tam varia, tam heroica virtutum omnis generis exempla extare, quam in Pentateucho, et Vetere Testamento.

Laudant isti professores, in primis J. Masen, fortitudinem, et felicitatem bellicam Julii Caesaris, Pompeii, P. Corneli Scipionis, Hannibalis, Alexandri<sup>8</sup>. At quanto maior Ioseph, Samson, Gedeon, David, Saul, Machabaei, Iosue, qui non humana, sed caelesti fortitudine praediti, divina felicitate pauci plurimos, eosque potentissimos profligarunt, quibus sol, luna, sidera, quasi milites oboedierunt, et contra hostes depugnarunt. Atque hi nobis sunt stimuli ad omne virtutis arduum, ad omnem sanctimoniam et innocentiam, ut illorum aemuli, quasi angeli terrestres, et homines coelestes, in Evangelica luce, coram oculis divinae maiestatis, iugiter nos intuentis, ambulemus, et serviamus ipsi in sanctitate et iustitia<sup>9</sup>. Alia utilitas est, quod sine Vetere Testamento, Novum intelligi nequeat, citant illud crebro, crebrius ad illud alludunt Apostoli, et Christus. Sane epistula ad Hebraeos, hac una de causa gravissima et obscurissima est: quod tota ex Vetere Testamento, eiusque allegoriis contexta sit. Cum finis legis sit Christus, omnia quae in Vetere Testamento dicuntur, ad Christum et Christianos pertinent, sensu vel litterali, vel allegorico; atque in hoc Vetus Testamentum novo

<sup>7</sup> M. Pexenfelder, *Florus biblicus sive narrationes ex historia sacra*, Straubingae 1672, p. 34.

<sup>8</sup> T. Bieńkowski, *Antyk – Biblia – literatura. Antyczne i biblijne inspiracje oraz symbole*, [w:] *Problemy literatury staropolskiej*, ed. J. Pelc, Wrocław 1969, p. 307–354.

<sup>9</sup> Cf. J. Masen, *Speculum imaginum veritatis occultae*, Coloniae Ubiorum 1650, p. 75.

antecellit, quod vetus passim praeter litteralem sensum, allegoricum habet, saepe etiam anagogicum et tropologicum. Atque hinc oritur gravissima Christianorum utilitas; quibus Vetus Testamentum praeludit novo, illique testimonium perhibet<sup>10</sup>.

### III. DE IOSEPHO IN SCRIPTIS AETATIS MEDIAE ET RENATARUM

Mythica de Iosepho narratio, quam in Libro Genesis legere possumus, episodium est sapientia praeditum epica et dramatica elementa continens, ad animos permovendos admodum idonea. Non est itaque mirum, si non pauci poetae, eo potissimum tempore quo studia antiquitatis maximo in honore erant eademque magnifica, sublimia et praeclara laudibus extollebantur, lacrimabilem Iosephi sortem, qui a magna miseria ad summam felicitatem devenit, tragoediographorum ritu exponere susceperint.

Sed primi ludi scaenici de Iosepho, qui saeculis XIII et XIV doceri coepti sunt, non Latine sed Romanice scripti sunt, inter quos praestant hi: *Ioseph, El sueño y venta de José; Mystère du Vieil Testament; Moralité de la vendition de Joseph*. Quae traditio Romanica permansit usque in saec. XVI, ut testantur fabula *Ein lieblich und nutzbarlich Spil von dem Patriarchen Jacob und seinen zwelff Soehnen* [...] a G. Major et J. Greff scripta et anno 1534 Magdeburgi docta. Eodem saeculo editae et doctae sunt tres fabulae de Iosepho: fabula dramatica *Ioseph* (anno 1540, Salestadii, auctore T. Gart)<sup>11</sup>, comoedia sacra, *Ioseph* (anno 1535, auctore Cornelio Croco)<sup>12</sup>, drama *Ioseph* (anno 1590, auctore N. Frischlin).

Tot tantique viri in eadem materia et soluto et ligato sermone illustranda versati sunt, ut eorum numerum inire vix audeam. Itaque plurimis Commentarii et Observationibus in Genesin omissis, saltem Hieronymi Drexelii tractatum notissimum *De Iosepho, Pro Rege Aegyptiorum*<sup>13</sup>, commemorabo. Paucula, quae propius ad propositum nostrum spectant, adiecisse sufficiat. Iosephum eiusque fata primo infausta deinde feliciora Latine dramatice exponere non dubitarunt hi viri docti: Iacobus Bidermannus in *Ludis theatralibus sacris*<sup>14</sup> Monachii, anno 1666 editis; Nicolaus Avancinus

<sup>10</sup> Auctores e Vetere Testamento, tantam figurarum, exemplorum, sententiarum, oraculorum varietatem petere poterant, non tantum ad fidem, sed ad omnem honestate vitae informationem. Primae fabulae dramaticae biblicae in Silesia inde ab anno 1569 doctae sunt hae: *Comoedia Susannae*, anno 1569 docta, Susannam longe fortiolem castitatis aequae ac vitae et famae pugilem celebrat; *Comoedia de Iosepho* docta anno 1583 laudat Iosephum, iam a domina sollicitante secreto prehensum, relicta chlamyde aufugientem, et in omne carceris, famae ac vitae discrimen, pro castitate tuenda.

<sup>11</sup> M. B o c i a n, *Leksykon postaci biblijnych*, Kraków 1996, p. 282.

<sup>12</sup> Hoc loco comoedia significat opus quod finem felicem habet.

<sup>13</sup> Hieronimus Drexelius, *Tractatum „De Iosepho”*, *Pro Rege Aegyptiorum*, Monachii 1640.

<sup>14</sup> Iacobus Bidermannus, *Ludi theatrales sacri*, Monachii, 1666, p. 214–345.



in *Poesi drammatica*, Vindobonae, anno 1655 edita<sup>15</sup>; Iacobus Libenus singulari Tragoedia, quae exstat in *Selectis Societatis Jesu Tragoediis*, Antverpiae anno 1634 in lucem emissis<sup>16</sup>.

In Polonia multi viri docti, qui non solum iam aliquot tragoedias Graecas in linguas Latinam et Polonicam transtulerant<sup>17</sup>, sed etiam ipsi Eurypidem et Senecam imitantes opera confecerunt verborum flosculis et pigmentis plena.

Ita anno 1545 in urbe Cracovia Iosephum eiusque fata celeberrimus Nicolaus Rej in opere quod inscribitur *Żywot Józefa* celebravit, cuius vestigia me in nonnullis fabulis Silesiis legisse, grata et sine rubore profiteor.

De Iosepho comoediam Adam Puschmann scripsit iam anno 1583, quam tamen tempus edax nobis ademit. De eodem argumento Simon Simonides (Szymon Szymonowicz) tragoediam cui titulus *Castus Ioseph* Latina lingua satis elegantem composuit anno 1578 in lucem edidit. Quod opus Stanislaus Goslavius in linguam Polonicam translatum (num satis feliciter, viderint alii) anno 1597 in vulgus edidit.

In fabulis de Iosepho scriptores Polonici potissimum contenderunt civiles hominum virtutes extollere ad recte civium voluntatem dirigendam. Hi auctores exemplo sumpto ex Iosephi vicissitudinibus exponunt quid demum sit vera gloria. At gloria sequi debet virtutem, non per se appeti. Quae gloria adeo cum virtute coniuncta sit necesse est, ut qui virtutem amet, is gloriam amare, et qui gloriam cupiat, idem virtutem cupere debeat. Ad harum similitudinem nonnullas scripserunt tragoedias ex variis gentibus et nationibus poetae pauci boni, multi mali, quos omnes referre supersedeo.

Scriptores vero Silesii opera auctorum, qui extra Silesiam regionem floruerant legebant, ex quibus etiam nonnulla elementa hauriebant.

#### IV. FABULAE DRAMATICAE DE IOSEPHO IN SILESIA SCRIPTAE

Nunc autem oculos convertere iuvat ad nobilem regionem Silesiam, ubi multi floruerunt homines praeclari et acuti, qui polita doctrina ornatu sermonem Latinum ad pristinam integritatem revocaverunt et Graecae linguae scientiam consecuti sunt, ubi non pauci Latina potius quam vernacula lingua opera sua conscribere maluerunt.

Eximius inspirationis fons Iosephi vicissitudines scriptoribus Silesiis erant. Fabula de Iosepho, cuius argumentum usque ad tempora Salomonis regis reduci potest, apta est sua natura ad educandum. Multa sunt in hac historia observanda. In primis tenor huius fabulae *paraneitikos* et *didaska-*

<sup>15</sup> Nicolaus Avancinus, *Poesis drammatica*, Viennae, 1655, p. 471–569.

<sup>16</sup> Iacobus Libenus, *Tragoedia*, in *Selectis Societatis Jesu Tragoediis*, Antverpiae 1634, p. 108–134.

<sup>17</sup> Hi sunt inter alios Piotr Ciekliński et Łukasz Górnicki.

*likos* est, id eo quod in ipsa de bonis operibus agitur. Praecipue haec narratio laudem tribuit iuveni, qui virtute sua excellit. Quamobrem speciatim Iosephi vices gerentis regis Aegyptiorum historiam quod attinet: tot tantique viri in ea et soluto et ligato sermone illustranda versati sunt, ut eos vix enumerare audeam.

Hi sunt praecipui auctores et tituli:

- Michael Poll *Exercitium oratorium: An filii Jacobi Iosephum occiderint, aut bestia eum dilaniarit*, Vratislaviae 1623;
- Ioh. Fechner *Iosephus Christi patientis et regnantis typus*, anno 1653; anno 1698 Simon Titius *Iosephum venditum*, in Gymnasio Magdalenaeo, uti tum erant tempora, docuit;
- Hermannus Resner *Comoediam de Iosepho Aegyptiaco* in urbe Glubczyce anno 1762 docuit;
- Joh. Gottlieb Jachmann fabulam *Iosephus pro-rex Aegyptiorum* inscriptam Vratislaviae anno 1764 edidit.

Nec non varii auctores Societatis Iesu de Iosepho opera scripserunt et in regione Silesia docuerunt. Hae fabulae dignae memoratu videntur:

- *Providentia Divina in Iosepho Patriarcha demonstrata*, Vratislaviae anno 1641;
- *Salvator Aegypti Ioseph*, Glocii 1671;
- *Lucta amoris fraterni*, Vratislaviae 1706;
- *Scyphus doloris*, Glogoviae 1747;
- *Deus providebit*, Vratislaviae 1765.

Fabulis de Iosepho, quae mihi tractandae sunt, Iosephi indoles eiusque virtus et Providentia Divina, quae semper eum protegebat, monstratur et denotatur. Quaestiones spectantes ad virtutem, cuius Iosephus exemplar est, iuvenes ad cogitationem de se ipsis hortabantur. Animadvertendum est tragoedias atque comoedias de Iosepho ad discipulorum conscientiam efformandam aptas fuisse. Hae fabulae testificantur Verbum Dei, cui semper Iosephus oboediebat, gressibus nostris lumen esse. Nam Iosephus, vir magna virtute praeditus, omnibus suis viribus et animi et corporis ad bonum tendebat, id prosequabatur et eligebat in suis actionibus. Hic in memoriam revocanda sunt verba Sancti Gregorii Nysseni: »Sit finis vitae cum virtute degendae, ut quis Numini divino assimiletur«<sup>18</sup>. Profecto talis finis vitae Iosephi fuit, cuius voluntas ita numini divino assimilata est, ut vir ille fortissimus merito „Christi Typus Luculentissimus” dictus sit.

## V. PRO THEATRO SCHOLASTICO

Vir doctissimus J. G. Jachmann, prorektor et professor gymnasii in urbe Vratislavia anno 1764 fabulam, quae inscribitur *Iosephus pro-rex*

<sup>18</sup> Gregorius Nyssenus, *De beatitudinibus*, oratio 1: *Gregorii Nysseni opera*, ed. W. Jaeger, v. 7/2, Leiden 1992, p. 82, PG 44, 1200.

*Aegyptiorum* docuit. In cuius programmate de dramatibus scholasticis ii-sque sacris pauca praefatus est, quorum summa est haec: »Praesertim cum nonnulli saeculi XVIII viri docti dixerunt omnia, quae in scholis produci passim solebant, dramata alto supercilio contemnentes, et fidenter satis clamitantes: omnia huiuscemodi conamina esse vana, futilia, immo vero perniciosas«<sup>19</sup>. Ad quas accusationes magnifice respondit J. Jachmann: »Qui si forsitan affererent, exercitia scaenica, ad palatum saeculi superioris efficta, nugis, iocis, immo histrionum gesticulationibus plena, doctam juventutem dedecere: me quidem facile haberent consentientem. Ambabus simul langior manibus, ludos scaenicos nimis frequentes, et operis instar primariis habitos, etiamsi super themate lectu et auditu digno exhibeantur, obesse magis, quam ad comparandam eloquentiam et formandos mores prodesse«<sup>20</sup>.

Jachmann utilitatem theatri scholastici defendit, quod dramata scaenica comparandae eloquentiae et formandis moribus profuerunt: »Tantum vero abest, ut eorum sententiae unquam subscribam, qui dramata omnia, cuiuscunque sint generis, e scholis proscribenda et exterminanda esse putant; ut potius prudentem et moderatum illorum usum, ipsa experientia edoctus, tamdiu defendam; quamdiu alacritatem ingenii in Juventutibus excitandam, memoriam excolendam, parrhsian a teneris comparandam, actionem in eloquendo emendandam«<sup>21</sup>.

Sibi certissime persuasum est quicquid sicco alias asperoque doctrinae genere proponi solet, vivis quasi coloribus per exempla ipso actu expressa depingendum, sensibus instillandum, atque his ingenii festivitibus molliendum esse.

Verum enimvero, e sacra historia materiam dramati inservituram depromere, temerarium aliis, aliis absonum esse videbatur. Haec condiciones ita illustrat dipingitque: „Dantur enim, qui intempestivo pietatis zelo abrepti, Scripturam Sacram profanari existimant, si quis factum aliquod in litteris sacris commemoratum, dramate representare audeat. Sed boni isti viri, quid sibi velint, ipsi sane nesciunt, aliarum sententiarum explanationem uberrimam approbantes et commendantes, et variis meditationibus, itidem arbitrariis, illustrantes; soli expositioni historiarum sacrarum poetice succensentes“<sup>22</sup>. Ceterum monebat, absit modo insulsa fingendi, et a mente scriptoris sacri prorsus aliena, immo contraria, adsuendi libido, his verbo: „Ceteroquin historiam sacram dramate exprimere, aequae licitum erit, ac Deo dignum erat, eandem paginis inferre sacris; quin immo satius saepe, eiusmodi praeclarum verae virtutis exemplar publice proponere, quam fucata ethnicorum sapientiam et virtutem imitari. Multo minus audiendi sunt, quibus, cum omnia e sacra scriptura deprompta ipsis sordeant, etiam

<sup>19</sup> J. G. J a c h m a n n, *Iosephus pro rex Aegyptiorum*, Vratislaviae 1764, *Prooemium fabulae*.

<sup>20</sup> Ibidem.

<sup>21</sup> Ibidem.

<sup>22</sup> Ibidem.



dramata stomachum movent”<sup>23</sup>. Ipse J. G. Jachmann particulam ex Iosephi historia, e paginis sacris, prae reliquis omnibus olim selectam, anno 1764 elucubravit, et Vratislaviae in Theatro Magdaleneo in scaenam producere non dubitavit, »partim, quoniam« ut ipse in argumento declaravit, »ad captum juventutis omnium maxime accomodata esse videtur, partim quod tenerrimos amoris, magnanimitatis, misericordiae, quid, quod poenitentiae affectus sistit, partim quia verae et constantis, in fati prosperrimis non minus, quam adversis, pietatis praemia omni exceptione maiora ob oculos ponit«.

Vir doctus Jachmann, una cum pluribus docentibus in scholis latinis Silesiis arbitrabatur inter viros omnes praecipuos et excellentes, quos antiquitas celebravit laudibusque ad coelum evexit, sive in Iudaica gente populoque Christiano, sive inter Graecos et Romanos, peculiariter Iosephum virtutibus praestare. Humanae virtutes potissimum apparent atque illuminantur in fabulis dramaticis, quae Iosephi indolem denotant nec non illorum, qui eius vitae eventum participes fuerunt.

## VI. CONCLUSIO

Exemplo sumpto ex Iosephi filii Iacobi vicissitudinibus, fabularum scaenicarum scriptores Silesii saeculos XVII et XVIII interpretati sunt imagines, argumenta et praesertim hominum condiciones quae in particulis Sacrorum Librorum ad Iosephi historiam pertinentibus inveniuntur. Praeterea Iosephi indoles denotatur nec non illorum, qui eius vitae eventum participes fuerunt.

Magistri scholarum Silesiarum, qui iuvenes docebant, institutionem moralem, religiosam civilemque ita in lucem proferebant, ut eosdem iuvenes ad rem publicam agendam aptos redderent. Quam ob rem singularis esse ponderis censebant omnes educationis vias rationesque quae veritatem, fidem ceterasque Christianas virtutes confirmarent atque augerent. Fabulae scaenicae quae in scholarum theatri doceri solitae erant, non solum actuosam formam eiusmodi institutionis moralis constituebant, sed etiam ad rerum spiritualium veritatem cognoscendam aptiore quadam ratione spectantium animos conducebant.

Talium fabularum scriptoribus actoribusque Iosephi vicissitudines profecto copiosus inspirationis fons videbantur et erant. Iosephi vitae eventibus peculiaris aperitur humana moralisque ubertas: quamquam enim illi plurimae temptationes et dominationis et odii fuerunt, tamen candidum ille nobis et insigne exemplum omnium virtutum praebuit. Vir iste tam probus prudensque et quasi mythicus, quam qui maxime aptus dramaticae actioni videbatur, ut scholasticis Silesiis quasi exemplar aeterni foederis Dei cum hominibus traderetur.

---

<sup>23</sup> Ibidem.

Latinae scholae, quae non solum aetate Humaniorum Renatarumque litterarum sed etiam aetatibus sequentibus magna opinione et gratia floruerunt, antiquitatis hereditatem conservaverunt et coluerunt nobisque tradiderunt. Ut in tota Europa ita in Silesia in scholis latinis septem artes liberales docebantur. Septem artes liberales semper magno in honore fuerunt, quia, si bene discantur, hominem sapientem liberumque reddunt. Itaque in scholis latinis Silesiis populares fuerunt ludi scaenici, actus scholastici, theatra sive dramata scholastica. Theatrum scholasticum signum scholae latinae in Silesia fuit iuxta principium: »Theatrum prodest pietati et scholae«. Quare professores et scriptores curabant, ut argumentum sacrum et pium esset. Auctores e Vetere Testamento, tantam figurarum, exemplorum, sententiarum, oraculorum varietatem petere poterant, non tantum ad fidem, sed ad omnem honestate vitae informationem.

Recentioris aevi fabularum scaenicarum scriptores peculiari quadam admiratione hanc biblicam traditionem tractaverunt et elaboraverunt. Iohannes Okoń in opera inscripta *Drama et theatrum scholasticum* testatur sexagintas fere fabulas tragicas de Iosepho saeculo XVII doctas esse<sup>24</sup>.

In scholis autem Silesiis tam Catholicae quam Lutheranae confessionis, fabularum scaenicarum scriptores argumenta potissimum ad religionem atque institutionem ethicam pertinentia tractabant, quibus iuvenes ad cogitationem de se ipsis hortarentur, dum conscientiam propriorum officiorum illustrabant. Talium fabularum scriptores et actores oratorium stilum maxime exercebant, ut qui eos legerent aut spectarent in vita publica argumentis idoneis ratiocinari valerent.

Saeculis superioribus fabulae trageicae ab auctoribus scholasticis scriptae, quibus vita atque persona Iosephi Aegyptiaci fons inspirationis erant, venustatem quandam naturalem suumque perenne pondus conservaverunt.

---

<sup>24</sup> J. Okoń, *Dramat i teatr szlolski. Sceny jezuickie XVII wieku*, Wrocław 1970.